

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Io. Freinsheimii Commentarii in libros svperstites Q. Cvrtii Rvfi

**Freinsheim, Johann
Curtius Rufus, Quintus**

[Argentorati], [circa 1639 oder später?]

Cap. V

urn:nbn:de:bsz:31-103771

Scriptores Historiæ de Alexandro.

SIGONIVS. In libello de temporibus Atheniensium.

SOLINVS.

SOPATER. Scripsit Eclogas variæ doctrinæ libros duodecim, quorum decimo Alexandri gesta referuntur, vt prodit Photius Cod. CXXI.

SOTERICIVS ASITES. Poëta Heroicus, scripsit Alexandriacum, h. e. Historiam Alexandri Magni, cum Thebas, & alia cepisset. Suidas.

SOTION. Plutarchus Alexandro c. 107.

STRABO. Hic tam in Geographicis suis libris multa passim de Alexandro refert, quam etiam historiam eius peculiari opere complexus est, quod ipse citat non longe à principio lib. 2.

STRATTIS OLYNTHIVS. Scripsit Ephemerides Alexandri libris quinque, item de obitu eius. Auctor Suidas.

SUIDAS.

TARIK MIRCOND in historia Persica.

PETRVS TEXEIRA LISITANVS. de regibus Persarum in suo Itinerario.

TIMAGENES. Citatur hic à Curtio 9, 5, 21. Iudicium de eo vide apud Quintilian. Institut. 10, 1.

TYRCA quidam. Qui res gestas Alexandri in suam linguam transtulit, iussu Selymi I. vt testatur Boterus in politia illustrium lib. 2. c. 2. & Tubero lib. 10. in fin. commentar. de tempor. suis. vide *Achmetes.*

VARRO. Hunc rerum Alexandri epitomen composuisse Raderus scribit.

VINCENTIIVS BELLOVACENSIS in speculo.

RAPHAEL VOLATERRANVS.

VRSPERGENSIS ABBAS.

ZENOBIÆ. Hæc etiam Regina Orientis locum hic sibi vindicare queat ex testimonio Trebellii Pollionis in XXX. Tyrannis, cap. XXVIII. *Historia Alexandrina & Orientalis ita perita, vt eam epitomasse dicatur.*

ZONARAS. Vide Ioannes Monachus.

ZOSIMVS.

CAP. V.

Cum autem ad operis Curtiani pleniorẽ intellectum necessarium videatur, de ipso prius Alexandro quædam prænoscere, ne tamen libri moles excresceret, sufficere visum est, si stemma primum Regis eius ex Reineccio, qui diligentissime illud inuestigasse visus est, excerptum, deinde & vitæ compendium, quam breuissime fieri potuit, præmitteremus. Igitur *Alexander Magnus* (nam ab hoc incipi placuit, vt retro ad maiores eius veniremus) ex *Bersine* Artabazi filia genuit *Herculem*, qui postea anno ætatis decimo sexto à *Polysperchonte* occisus est: ex *Rhoxane* Oxyartæ filia *Alexandrum* Posthumum, quem *Casander* interfecit: ex *Cleophide* Regina Indica *Alexandrum*, qui postea matris imperium tenuit. *Alexander* porro *Magnus* originem suam hinc ad *Herculem*, inde ad *Achillem* retulit, per has successiones, quarum dextræ paternam eius matrem, lævæ maternam exhibent.

Genealogia Alexandri.

I. PHILIPPVS Macedoniae Rex, occisus à Pausania, anno aetatis 46. 9. Cal. Feb. sustulit ex Olympiade *Alexandrium Magnum*, & *Cleopatram*, Alexandro Epirotæ auunculo suo nuptam: ex *Audata* Illyria *Cynam*, collocatam à patre *Amyntæ* patrueli, postea ab *Alceta* *Perdicæ* fratre interemptam: ex *Nicasipolide* *Pheræa Theffalonicam*, quam *Casander* duxit: ex *Cleopatra* sorore *Attali* *Europam*, quam in gremio matris necasse dicitur *Olympias*; & *Caranum*, quem & ipsum crudeliter interfecit eadem nouerca: ex *Asinoe*, quam imprægnatam Lago tradidit, *Ptolemaum* Ægypti Regem: ex *Philinna* saltatrice *Larissæa*, *Arideum*, qui extincto fratre *Alexandro* imperii simulacrum per sexennium tenuit, deinde *Olympiadi* proditus, & immaniter excarnificatus, vitam & stirpem Regum Macedonicorum ex *Herulis* posteris finit. Huius pater fuit

II. AMYNTAS Mac. R. bis regno deiectus, bis restitutus, genuit ex *Eurydice* Illyria *Alexandrum*, secundum hoc nomine Macedonum Regem; *Perdicæ* tertium; cuius filius *Amyntas* ex *Cyna* *Philippi* filia *Eurydice* *Aridæi* coniugem procreauit; *Philippum* secundum *Alexandri* M. patrem, & *Euryonem* filiam, quæ scelestæ matris consilia patri detexit: ex *Cygnæ*, vel ut alii scribunt *Cygnæa*, *Arche-laum*, *Argæum*, *Menelæum*: ex pellice anonyma *Ptolemaum* cognomento *Aloricem*, qui *Philoxenum* genuit, cuius posteritas non proditur.

III. PHILIPPVS cognomento *Supradictus* parte Macedoniae quam tenebat, à *Perdicæ* fratre pulsus, in exilio obiit, vnico filio relicto.

IV. ALEXANDER Rex Macedoniae, Diues & Philellen cognominatus, qui bello *Xerxis* cum Persis fuit, genuit *Perdicæm* alterum hoc nomine Macedon. Regem, *Alceta* interfectum postea ab *Archelao* Rege *Perdicæ* spurio; & *Philippum* de quo supra.

I. OLYMPIAS post Alexandri filii mortem, cum multa diu ambitiosissime atque crudelissime fecisset, *Pydnæ* à *Casandro* capta, atque interfecta est. Huius pater fuit

II. NEOPTOLEMVS, Epiri Rex cum *Arybba* fratre regnum partitus, liberos habuit *Alexandrum*, qui Magni sororem *Cleopatram* in matrimonio habuit; & bello in Italia gesto occubuit; *Neoptolemum* qui *Alexandrum* in Asiam secutus, in expugnatione urbis *Gazæ*, primus muros conscendit; *Arrianus* sine lib. 2. postea Epiri regno aliquamdiu potitus, à *Pyrrho* interfectus est; *Arybbam*, qui societatem cum *Leosthene* aduersus *Macedonas* initam turpiter deseruit; *Troacem* *Arybbæ* patruo nuptam; *Olympiadem* *Alexandri* matrem; & *Cadmiam* quæ insidias à *Neoptolemo* fratre in *Pyrrhum* conflatas prodidit.

III. ALCETAS Epiri Rex, qui à suis pulsus, post exilium apud *Dionysium* Siciliae tyrannum, ad regnum rediit, procreauit *Neoptolemum* Olympiadis patrem; & *Arybbam* qui fratrem bello petens, diuidere secum regnum coegit: deinde ducta in uxorem *Troade* fratris filia suscepit *Alceta* qui postea regnauit; & *Acacidem* *Pyrrhi* patrem.

IV. ARYMBAS qui Athenis eruditus posteaquam ad regnum peruenit, leges & senatum annuosque magistratus, & reipub. formam composuit. Vocatur & *Tharymbas*, & *Tharrytas*, & *Tharyps*, & *Tharypus*, ut solet in nominib.

V. ADMETVS Epiri Rex, ad quem *Themistocles* confugit, suscepit ex *Phibia* coniuge *Arymbam*, de quo modo dictum est.

VI. ALCON procatus *Agaristam*, *Clithenis* *Sicyonii* filiam. Huius progenitores ignorantur, nisi quod constat eum fuisse ex *Pieli* posteris, quem ideo statim in proximo collocauimus.

VII. PIELVS qui & *Pylades* quos liberos genuerit, non reperitur: habuisse autem certum est ex eo, quod *Pausanias* scribit, *Pyrrhum* qui cum *Romanis*